

12 / 79

IDIBVS DECEMBRIBUS
MCMLXXIX

RV MOR VARI
MOR VARIVS R
R VARIVS RVM
VARIVS RVM

RVMOR VARIVS

RV MOR VARI
MOR VARI
VARI

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE
LATINA TVRICENSI in ae-
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS duodecies in
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis:
(annum)

In Helvetia Fr. 8.80
In Germania DM 11.--
In Austria ÖS 90.--
In ceteris Eu-
ropae terris Fr. 13.--
In terris trans
maria sitis Fr. 18.--

Singula specimina, qui
rogaverit, gratis accipiet

Collegium redactorum:

Ulricus Aeschlimannus
Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Patrickus Hardmeier
Martinus Meier

Impressum et dispositionem
rerum legentibus publicanda-
rum curat:

Franciscus Bachmannus

Typographeum:

Copy Quick, Turicum

Epistulae, mandata mittenda
sunt ad domum editoriam:
RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:
Schweizerische Bankgesell-
schaft
RVMOR VARIVS 806.134. J 1 A

RVMOR VARIVS wird von der
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS
UNTER DEM Patronat der AKAD
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 12 Mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreise:
(jährlich)

Schweiz Fr. 8.80
Deutschland DM 11.--
Oesterreich ÖS 90.--
Übriges Europa Fr. 13.--

Uebersee Fr. 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Patrick Hardmeier
Martin Meier

Graphik und Layout:

Franz Bachmann,

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse
(Briefe, Korrespondenz):
RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Bankverbindungen:
Schweizerische Bankgesellschaft

RVMOR VARIVS 806.134 J 1 A

PRÆFATIO

Ulricus Aeschlimann omnibus legentibus salutem
dicit plurimam!
Mirum est videre quantum noster libellus et spe-
cie et argumentis in eo inclusis et forma ex eo
tempore, quo natus sit, mutatus sit! Ut omnes
RVMORE VARIO gaudentes videant, qua forma tum
exemplar primum pridie Kalendas Martias MCMLXX-
VIII editum sit, illud iterum imprimi curavimus
et omnibus, qui RVMOREM VARIVM subnotantes huic
libello nostro fidem praestiterunt, donum mit-
temus. Ducatur hoc donum a vobis, cari amici,
pro dono vobis die natali Christi dato! Egomet
non cunctabor, quin illa duo folia viridi
colore tincta, e quibus primum exemplar RVMO-
RIS VARIII constiterit, margine includam et pa-
rieti in officio meo affigam! Cui magno decori
erit! Spero hoc donum etiam vobis magno gaudio
esse!
Ceterum memoriae vestrae revocare velim, quod
iam in praefatione mense Iunio MCMLXXIX scripta
praenuntiavi: RVMOREM VARIVM ab anno MCMLXXX
non iam tempore consuetudinem sequente, i.e.
mensualiter, sed tantum sexies in annum, i.e.
secundo quoque mense, accipietis. Ea, quae iam
in praefatione supra descripta dixi, hodie hoc
in loco confirmem: RVMOR VARIVS, quamquam hoc
novo modo rarius apparebit, tamen plenior par-
tium ratarum manu legentium scriptarum erit
(augebitur enim singulo in libello numerus pa-
ginarum) quam usque adhuc fuit. Erit in libello
eo modo maior variatio et qua re maius gaudium
legendi vobis! Pretium libelli subnotandi idem
manebit atque adhuc fuit, quia copia nuntiorum
RVMORE VARIO divulgatorum tempore unius anni
mutata non erit. Et vos aenigmata amantes ne
irascamini! Novus modus libelli edendi etiam
vobis aliquod commodum offeret, quia praemia
solutionibus nobis missis recteque confectis

attributa, quamquam rarius attribuentur, tamen pretiosiora erunt quam adhuc fuerunt, quod novo modo edendi libellum maior copia aeris servari poterit, qua praemia a nobis ementur. Haec sunt, quae, ut supra dixi, iam ante sex menses in praefatione scripsi. Edetur libellus autem non iam, ut soliti estis, Idibus, sed omni secundo mense Kalendis; quo facto morae adhuc interdum ortae mittendo libellum lectoribus facilius vitari poterunt. Insuper libellus noster anno MCMLXXX novo colore vestitus apparebit; qui color ei futurus sit, adhuc incertum est. Speramus novum vestimentum vobis gaudio futurum esse!

Felicem novum annum vobis!

Valete!

Ulricus Aeschlimann redactor.

Cari legentes,

mense praeterito variis occupatus rebus et sic a vertendis poematibus plerumque prohibitus nunc vobis debita reddere in animo habeo.

C A P T A M E I S M A N I B V S

(Alls, wo mir i d' Finger chunnt)

Eodem, quo sum natus, die, ut narratum est, a matre mea domi cenae vas corruptum est. Quo sunt mihi ex tempore fata sequentia: capta meis manibus franguntur omnia!

Quamlibet ingens opera sit, quam do, nil valet. Quaecumque heri floruit res, hodie non viget. Permulta ruinarum sunt, quas linquo, culmina: capta meis manibus franguntur omnia!

Puellam olim noveram - infaustam fabulam! - puellam lepidissimam et crinibus nigram. Advenit umquam dicens: "Cuncta nunc praeterita." Capta meis manibus franguntur omnia!

Cum, ut ei "Vale!" dicerem, eam amplexus sim, tam fortiter compressi, ut obiret interim. Pro deis immortalibus! - sunt forte haec facta: capta meis manibus franguntur omnia!

Sum tractus ante tribunal, suspensus heri sum, sed tum, cum iam pependeram - hoc vere est mirum! - discissus meus laqueus est hora ultima: capta meis manibus franguntur omnia!

Sic hominem erraticum curare otium me certe intellegitis et datis obolum seu parvum sive maximum, dona mihi grata: capta meis manibus franguntur omnia!

Benedictum festum sollemne annumque novum felicem, opto, ut habeatis!

Martinus Meier

DE VESPERE QVODAM CONILVDIO CONSECRATO

(Coniludium sive conorum ludus nostro sermone appellatur Kegelspiel)

Veneris die proximo, ut est nostra consuetudo menstrua, ad coniludium in cauponam quandam extra urbem sitam convēnimus. Quam gratus nobis est conorum ludus! Dat varietatem vitae iucundissimam sedentariis, qui simus labore nostro cotidiano, firmat corpora, dat agilitatem. Cum res ita se habeant, post cenam, quam levem esse oportet, omnes in tempore adsumus, nonnulli iam sorbentes cerevisiam (Bier), qua quamvis modice haustā consessus incohatur. Cerevisia certo temperanter bibenda est. Namque ebrium quemque ad globos ligneos mittendos nihil valere apertum est. Quapropter mulieres nostrae meliore plerumque sunt condicione, utpote quibus cerevisia minus placeat quam aqua medicata vel potus coffeae. Attamen homines

feminini generis, qui, (vel melius: quae) nobiscum conis luserunt, adhuc nunquam primum praemium obtinuerunt, quamvis sobriae fuerint, neque ignoro, cur ita sit: nempe et vis et virtus eas deficiunt, nisi fallor. Saepe sine causa iusta ridere, laetos clamores tollere et iocari solent, cum nos viri magno cum serio magnoque impetu ludamus. Quis autem dubitarit, quin etiam in ludendo serium sit adhibendum? Homo cognoscitur in ludendo, ut mihi quidem persuasum est. Ut ludis, ita agis in officio. In ludo carens serio et in officio caret.

Nunc autem sat philosophatum! De ludo nostro narrandum est:

Petrus, qui optimus est lusor nostrum, interrogavit: Quanti certabimus? Namque aliquo pignore certandum, alioquin ludus taedet.

- "Consentitur!" respondemus omnes praeter unum Paulum.

Et ego: "Quinquaginta nummis? Placetne?"

- Paulus: Est nimio!

- Julius: Tu homo tenax! Num tunicati sumus?

- Paulus: Tu non es, at ego sum. Tamen, si vobis visum est, ratum duco quinquaginta. Laudamus Paulum propter eius placabilitatem. Formamus partes. Sex sumus collusores, mulieres tres virique totidem. Itaque in altera parte una, in altera duae mulieres, itemque viri distribuendi sunt. Mea pars ex una constat muliere duobusque viris, me incluso.

- "Quis incipit?" inquam.

- Sortiendum est! - Quomodo? - Ramentis sulphuratis! (mit Streichhölzern). Et sortiti sumus. "Ecce Petrus! Tuum est, Petre! Incipe! Mitte globum! Feri Lucam! (Hau den Lukas).", conclamamus omnes quasi iubilantes. Et Petrus misit.

Neque est dubium, quin Petrus, optimus ille lusor, omne laturus fuerit punctum, nisi, pro! Favonus, malignus ille ventus, illo ipso die acerrime flavisset. Petrus enim, ut sciatis, homo mollis est, qui Favono flante valetudine summopere laborare solet. Pauperrimum! Globum miserat summis viribus, firma voluntate vin-

cendi, magnoque clamore, at (lamentabile visu!) ne unum quidem conum subvertit, globo eius ad parietem misso. Steterunt coni omnes stabiles tamquam milites Borussi, quasi subridentes. Nos autem, risu vix suppresso, commiserationem eius fingimus, ut est hominum fallacium.

Tum Flavia, uxor Petri, femina ingens, staturā altā, corpore amplo, lacertosis bracchiis, ut gladiatoris speciem praerberet, : "Imbecille, inquit, specta me, quaeso, ut cognoscas, quanto pluris femina sit viro!" Stupescimus omnes, ambigui, utrum admiremur an rideamus. At illa accessit, corripuit globum magnoque cum ululatu vibrans re vera conos subverti omnes, numero videlicet novem!

- "Euge, euge! Io novenio!" vociferamur Latine et Germanice simul.

At maritus eius acidulus: "Praepropere, inquit, triumphare noli! Fortuna tibi favit, nil amplius. Postremo virtus vera vincet."

Tum partis alterius est mittere. Quorum primus Iulus noster accedit et "Par pari referamus!" parva voce dicens vibrat globum subvertitque (mirabile visu!) totidem, conos novem! Sequitur clamor magnus risusque undique. Petrus autem: "Nunc est bibendum!", inquit, "agite dum! Haustum cerevisiae sumamus!"

Et Corinna: "Bene dicis", inquit, "iam fauces mihi aridae sunt, lingua in palato haeret."

- "Tibine?", inquam, "potrix quae es!"

- "Me potricem? Poculum nondum tetigi, calumniator!"

- "Recte!", inquam, "at nondum misisti globum. Mittendum est primum, postea bibendum."

- "Tu me vetabis, homuncule? Nonne admodum sani cerebri es?"

- "Non veto, sed suadeo, dulcissima. Nam sobriam te validiorem esse ad conos subvertendos pro certo scio."

Cum tali modo per iocum rixamur, ululatus magnus de improvise ortus est. Quid accidit?

- Pars altera bis novenos subvertit conos! -

"Vae nobis!", inquam, "iam omni spe vincendi deicimur. Petre noster! Ubi es? Fac tandem artem tuam videamus! Alioquin perimus nobisque solis erit solvendum pretium conorum." Nunc autem magnus surgit ira ingenti Petrus, pugnans adversus et Favonem et dolores capitis, correptum globum vibrat et ah!! coni novem cadunt! Neque triumphat Petrus, sed torvo vultu exspectat seriem proximam. Et pro Iuppiter! Denuo vincit nec bis tantum, sed ter! Heu! Pristinus Petrus nobis redditus est! Pristina eius ars virtusque globos mittendi attulit victoriam parti nostrae. Vivat Petrus! Vivatis vos quoque, cari legentes, qui patienter perlegistis narratiunculam meam! Neque nimia vobis vocabula fore requirenda spero. Valete!

Dr. Emanuel Bernard

SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:


Herr
Alan Witztum
Hinter Zünen 5
8702 Zollikon

secundum praemium:

Herr
Daniel Weissmann
Tellstr. 30
3014 Bern

tertium praemium:

Fräulein
Gabriela Furgler
Iddastr. 59
9008 St. Gallen



Aenigma

QVO PRAEMIUM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA KALENDIS FEBRUARIIS MCMLXXX EST!


PRAEMIA SVNT: primum praemium: LIBER
secundum praemium: LIBELLVS
tertium praemium: LIBELLVS

ad libram:

1. pars arboris
2. publicare (librum)
3. inquina!
4. dea pacis Graecorum
5. populo (dat.)
6. gressus est
7. labor, occupatio
8. sum, ..., est
9. solum vertere
10. legislator populo...proponit.
11. arvis
12. discrimini
13. requiescat in pacem (brevis scriptio)
14. improbe (vocativus!)
15. deus Romanus duorum vultuum (gen.)

ad perpendicularum:

1. pietas erga deum
9. laeto
10. advenire
17. VERBUM SOLUTIONIS: nomen consulis Romani, qui secessionem plebis in montem sacrum placavit (SOLVTIO RVMORI VARIO mittenda est!).
18. incendio delentis
19. pronomen reflexivum (acc.)
20. fatur
21. hospites
22. pedem rettuli
23. accusatis
24. praepositio cum accusativo ablativove
25. ..., eae, ea



DE LEGIBVS XII TABVLARVM

TABULA I

1. SI IN IUS VOCAT, ITO. NI IT, AN-
TESTAMINO: IGITUR EM CAPITO.
2. SI CALVITUR PEDEMVE STRUIT, MANUM
ENDO IACITO. 3. SI MORBUS AEVITASVE
VITIUM ESCIT, IUMENTUM DATO. SI NO-
LET, ARCERAM NE STERNITO.
4. ASSIDUO VINDEX ASSIDUUS ESTO. PRO-
LETARIO IAM CIVI QUIS VOLET VINDEX
ESTO.
5. NEX...FORTI SANATI...
6. REM UBI PACUNT, ORATO. 7. NI PA-
CUNT, IN COMITIO AUT IN FORO ANTE
MERIDIEM CAUSSAM COICIUNTO. COM
PERORANTO AMBO PRAESENTES. 8. POST
MERIDIEM PRAESENTI LITEM ADDICITO.
9. SI AMBO PRAESENTES, SOLIS OCCASUS
SUPREMA TEMPESTAS ESTO.

E TABULA I comperimus, quomodo actor cum reo agere debuerit. Leges enim vetabant actorem suo arbitrio in reum saevire. Qua de causa etiam patricii sine causa dicta plebeios iniuria afficere non iam potuerunt.

In medias res! Conamur aenigma horum verborum amplexorum antiquorum solvere et sententias eorum animo capere.

lex 1: SI (actor reum) IN IUS VOCAT, (reus) ITO. NI IT (reus), ANTESTAMINO: IGITUR (actor) E(u)M CAPITO.

IUS etiam eam partem significat fori Romani, quo ius dictum est!

ANTESTAMINO = testes convocato actor virum, qui adfuit, "licet antestari?" interrogavit aurem eius manu sua tangens.

lex 2: CLAVITUR (reus) = frustratur
PEDEMVE STRUIT = vel fugere conatur
ENDO = in
(actor reo) MANUM
ENDO IACITO = manum inicito

Licebat ergo actorem in reum, qui subsequi nollet, vi uti. Reum renitentem in ius trahere temporibus nostris, ut scimus, officium est securitatis publicae curae. Sed videmus ex his legibus XII tabularum id Romae faciendum fuisse actoris.

lex 3: AEVITAS = aetas extrema
VITIUM = impedimentum rei
in ius veniendi
ESCIT = erit
IUMENTUM = equus vel mulus ad
equitandum idoneus
ARCERA = lectica
(actor) STERNITO = dato

lex 4: ASSIDUUS = vir locuples, patricius

Reus, ubi statim in ius ire noluit, facultatem habuit - si VINDICEM invenisset - pollicendi se alio tempore cum actore in foro conventurum esse. VINDEX autem actori spondere debuit, reum in ius venturum nec fugiturum esse; periculum magnum ergo in se recepit, nam pro reo, qui effugerat, ipse obligationes eius actori solvere coactus est!

Itaque facile intellegere possumus, qua de causa viro locupletis vir etiam locuples VINDEX esse debuerit.

lex 5: Qualibus verbis fragmentum illud supplendum sit, viri doctissimi dissentunt...

Postquam actor cum reo in forum pervenit, de causa disputatum est. Controversia dividitur in partes duas:

- I. in iure
- II. apud iudicem


I. Quod in iure fit

Ante praetorem in sella eburnea sedentem actor et reus causas dicunt. Licet reum tacere, quasi indefensus persistere; sed tacere ei non prodest. Praetor enim, cum reus se non defendit, verba probat actoris, etsi falsa sint!

lex 6: Si actor reusque controversiam inter se finire conveniunt condicione, praetor pactum expressis verbis confirmat, ne de eadem causa iterum agatur; nam, ut dicitur: "Bis de eadem causa agere non licet."
Hoc principium etiam temporibus nostris sequimur!

Nisi pacti sunt, causa dicta praetor vel
→ actionem denegat et actorem demittit vel
→ actionem dat

Hac illustratione demonstratur, quomodo causa sit peragenda.



Actione data testes convocantur. Nunc et actor et reus solemne formulas lege ad singulum verbum praescriptas orant.

e.g.:

actor: "EX SPONSIONE TE MIHI X MILIA SESTER-
TIORUM DARE OPORTERE AIO. ID POSTULO
AIAS AN NEGES"

reus denegat oportere

tum actor: "QUANDO TU NEGAS, TE PRAETOR IUDI-
CEM SIVE ARBITRUM POSTULO UTI DES"

His formulis dictis l i t i s c o n t e s -
t a t i o perfecta est.

II. Quod a p u d i u d i c e m f i t

Lis peragenda est apud iudicem* (vel apud ar-
bitrum) aut die litis contestationis ipso aut
die, de qua in iure conventum est.

Iudex magistratus non est, sed vir privatus,
quem actor reusque ad causam iudicandam ele-
gerunt sese promittentes sententiam eius se-
cuturos esse.

lex 7: (actor reusque ante
iudicem) CAUSSAM CO-
ICIUNTO = causam dicunto

lex 8: POST MERIDIEM (si actor vel reus non
adest, iudex) PRAESENTI LITEM ADDICITO.

Ut videmus, qui abest, semper omnia perdit!

lex 9: TEMPESTAS = tempus
Lite tempore solis occasus non iam
peracta controversia interrumpitur
et pars reliqua die subsequente dis-
putatur.

* Temporibus antiquissimis, cum Roma urbs mag-
na nondum esset, sed oppidum circa X milia
incolarum agresti modo viventium, verisimile
praetor plerumque etiam partes iudicis tulit.

PATRICIVS HARDMEIER

SVBNOTO RVMOREM VARIUM:
(ich bestelle RVMOR VARIUS)

SVBNOTO RVMOREM VARIUM
DONVM DATVM ALICVI
Factura subnotationis mit-
tenda est ad adressam supra
stantem.
(ich bestelle RVMOR VARIUS für
mit Rechnung an:

RVMOR VARIUS

Postfach 883

CH- 8050 Zürich

HIC SOLVTIONEM INSCRIBE
ET CHARTAM MITTE!

DOMICILIVM MEVM:



RVMOR VARIUS

Postfach 883

CH- 8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

12 / 79

IDIBVS DECEMBRIBUS
MCMLXXIX

RV MOR VARI
MOR VARIVS R
R VARIVS RVM
VARIVS RVM

RVMOR VARIVS

RVMOR VARI
MOR VARI
VARI